

Philippenses tertio, ubi de eisdem cæremoniis legalibus tractans ait Paulus: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta; et infra: Omnia detrimenta feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, et inveniatur in illo, non habens eam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi.* Quædam vero intelligenda sunt de tempore legis scriptæ, quando illa sacramenta vigeant, et illa dicuntur inutilia, et egea, quantum ad sacramentalem justificationem præstandam, non vero quantum ad justificationis augmentum ex merito, quod commune est omnibus bonis operibus, et non provenit proprie ex virtute seu valore ipsorum operum externorum, sed ex interiori charitate et virtute. Dici etiam possunt illa sacramenta tunc fuisse inutilia ad justificandum quocumque modo per sese, ac sine fide Christi, nam si aliquod meritum in usu illorum futurum erat, necesse erat ut in fide Christi fundaretur. Et hoc sensu intelligendum est, quod in locis citatis ex Epist. ad Rom. ait Paulus, ex operibus legis neminem justificari, scilicet virtute ipsorum operum, quatenus præcise a libero arbitrio fieri possunt, secus vero, ut a fide et charitate procedunt. Nam hoc modo potius dicit Paulus eodem loco ad Rom. 2: *Factores legis justificabuntur, et qui fecerit ea, vivet in illis;* et hac ratione dicunt interdum Patres, homines illius temporis quatenus justi erant, et merebantur coram Deo, ad novum testamentum pertinuisse, quia per fidem Christo conjungebantur, et inde vim merendi accipiebant, atque eodem sensu aiunt, religionem Christianam ab initio fuisse, ut videre licet apud Eusebium, lib. 1 Hist., c. 4, et Augustinum, 1 Retr., c. 43.

8. Ad rationem pro illa opinione factam, jam ostensum est, in eo statu fuisse promissionem divinam ad meritum de condigno sufficientem; quod vero Paulus ait, testamentum novum melioribus repromissionibus esse sancitum, existimo in hunc modum esse intelligendum: aliud enim est loqui de promissione quasi intrinseca ordini gratiæ et providentiæ supernaturali, quæ generalis fuit in omni tempore, et in omni statu humanæ naturæ, aliud vero de promissionibus propriis alicujus legis seu status. Promissio ergo primæ gratiæ conferendæ homini sufficienter disposito per contritionem, et promissio gloriæ conferendæ homini grato, et promissio augmenti gratiæ et gloriæ dandæ justis in præmium bonorum operum, quodammodo fuit intrinseca ordini

gratiæ, ut est sub perfecta ac suavi providentiæ Dei supernaturali, et ita hæc promissiones fuerunt tam in lege naturæ, quam in lege scripta, nec constat nobis in lege scripta fuisse majores, aut potiores, quam in lege naturæ fuerint, quamvis fuerint clariore, magisque a fidelibus cognitæ. At vero propriæ promissiones, quæ additæ sunt in veteri testamento, videntur fuisse tantum temporales, ut constat fere ex toto discursu illius legis, et exponit optime August., toto lib. de Spiritu et litter., et in enar. in Psalm. 72, et lib. contra Adimantum Manich., cap. 3, et 49 contra Faustum, cap. 31. Quibus locis ait, in antiqua lege propter imperfectionem ejus, et quia regnum cælorum longe distabat, factas esse promissiones temporales, non tamen esse omnino prætermittas spirituales, quæ interdum in ipsis temporalibus figurabantur, interdum expressius fiebant, ut diximus. Et ideo dicebat Christus Phariseis, Joan. 5: *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vitam æternam haberi; at vero in novo testamento et generalis promissio gratiæ et gloriæ expressius facta est, adeo ut sub nomine Regni cælorum non fuerit antea proposita, sed initio prædicationis novi testamenti, ut Augustinus supra notat, et 1 Retract., cap. 22; et præterea additæ sunt multæ promissiones spirituales abundantioris gratiæ, propriæ hujus status, in quo de temporalibus promissionibus fere nulla est mentio, sed veluti supponuntur hæc temporalia bona adjicienda justis, si illis aut necessaria aut utilia fuerint. Propter hanc ergo causam merito dixit Paulus, *novum testamentum in melioribus repromissionibus esse sancitum.**

9. Ad fundamenta secundæ sententiæ, primo illa conjectura Durandi, quod Deus non deficit in necessariis, nullius est momenti. Primo, quia non constat, sacerdotium Leviticum et ministeria ejus fuisse adeo perfecta, ut necessarium simpliciter fuerit illa in gratia perficere. Deinde quicquid de hoc sit, sufficiebat justitia, quæ per meritum et dispositionem operantis comparari poterat. Neque enim illa lex adeo perfecta fuit, ut oportuerit meliori et utiliori modo hominibus provideri.

10. *Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur.* — Ad testimonia vero Scripturarum, in quibus promissiones quædam continebantur, respondetur primum, multas ex illis non intelligi de interiori ac vera remissione culpæ coram Deo, sed de legali quadam

## ARTICULUS I.

Utrum sacramentum imprimat aliquem characterem in anima (4, d. 4, q. 1, art. 4, q. 1, c.).

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur quod sacramentum non imprimat aliquem characterem in anima. Character enim significare videtur quoddam signum distinctivum. Sed distinctio membrorum Christi ab aliis, fit per æternam prædestinationem, quæ non ponit aliquid in prædestinato, sed solum in Deo prædestinante, ut in prima parte (quæst. 23, art. 3) habitum est. Dicitur enim 2 Tim. 2: Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, novit Dominus qui sunt ejus. Ergo sacramenta non imprimunt characterem in anima.*

2. *Præterea, character signum est distinctivum; signum autem, ut Augustinus dicit in 2 de Doctrina Christiana (circa princ., t. 3), est quod præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Nihil autem est in anima, quod aliquam speciem sensibus ingerat. Ergo videtur, quod in anima non imprimatur aliquis character per sacramenta.*

3. *Præterea, sicut per sacramenta novæ legis distinguitur fidelis ab infideli, ita etiam per sacramenta veteris legis; sed sacramenta veteris legis non imprimebant aliquem characterem in anima, unde et dicuntur justitiæ carnis, secundum Apostolum ad Hebræos 9. Ergo videtur, quod neque sacramenta novæ legis imprimunt characterem.*

*Sed contra est, quod Apostolus dicit 2 ad Cor. 1: Qui unxit nos Deus est, et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Sed nihil aliud importat character quam quamdam signationem. Ergo videtur, quod Deus per sacramenta nobis suum characterem imprimat.*

*Respondeo dicendum, quod sicut ex prædictis (q. 62, art. 5) patet, sacramenta novæ legis ad duo ordinantur, videlicet ad remedium contra peccata, et ad perficiendum animam in his, quæ pertinent ad cultum Dei, secundum ritum Christianæ vitæ. Quicumque autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari, sicut milites, qui adscribebantur ad militiam antiquitus, solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines per sacramenta deputentur ad*

remissione quoad aliquas pœnas, vel irregularitates legis, cujus signum esse potest, quod non in singulis sacramentis vel sacrificiis promittebatur remissio omnium peccatorum, sed quædam peccata dicebantur tolli quibusdam sacrificiis, quædam vero aliis, cum tamen in vera remissione culpæ mortalis nunquam una sine alia remittatur; et ideo Prophetæ aliis in locis, rejectis illis sacrificiis, interiorem animi contritionem et commutationem requirebant ad consequendam veram remissionem peccatorum; et hoc ipsum significavit Paulus vocans omnes illas justitias carnis. Secundo dicitur, illa sacrificia hominibus nondum justificatis per contritionem potuisse valere ad remissionem peccatorum obtinendam per modum impetrationis. Ad quod multum etiam juvare poterat oratio sacerdotis, ad impetrandum scilicet a Deo auxilium et motum cordis, quo remitterentur peccata, ut docuit D. Thom., 1. 2, q. 403, art. 2, et Cano, 12 de Locis, cap. 43, ad 9; hominibus autem jam justificatis prodesse poterant ad satisfaciendum pro peccatis quoad temporales pœnas, non quidem ex opere operato, ut videtur sensisse Alexand. Alens., memb. 4, art. 3, sed ex opere operantis, ut recte docuit D. Thom., in 4, dist. 1, quæst. 4, art. 5, quæst. 2, ad 2, et ex dictis satis constare potest. Atque eodem modo exponenda sunt testimonia Sanctorum ibi citata; sufficienter enim intelliguntur de fructu ex opere operantis, neque aliud probat congruentia ibi adducta.

## QUÆSTIO LXIII.

DE EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST CHARACTER, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

*Deinde considerandum est de alio effectu sacramentorum, qui est character.*

Et circa hoc quærentur sex.

1. *Utrum ex sacramentis causetur character aliquis in anima.*
2. *Quid sit ille character.*
3. *Cujus sit character.*
4. *In quo sit, sicut in subjecto.*
5. *Utrum insit indelebiter.*
6. *Utrum omnia sacramenta imprimant characterem.*



aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est, quod per ea fideles aliquo spirituali caractere insigniantur. Unde Augustinus dicit in 2 contra Parmen. (cap. 43, parum a med., t. 7) : Si militiæ characterem in corpore suo, non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusa, et impetrata jam venia militare cœperit, numquid homine liberato atque correcto character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? an forte minus hærent sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota?

Ad 1 ergo dicendum, quod fideles Christi ad præmium quidem futuræ gloriæ deputantur signaculo prædestinationis divinæ. Sed ad actus convenientes præsentis Ecclesiæ deputantur quodam spirituali signaculo eis insignito, qui character nuncupatur.

Ad 2, dicendum quod character animæ impressus habet rationem signi, in quantum per sensibile sacramentum imprimitur; per hoc enim scitur aliquis esse baptismali caractere insignitus, quod est ablutus aqua sensibili. Nihilominus tamen character vel signaculum dici potest, per quandam similitudinem, omne quod configurat alicui vel distinguit ab alio, etiam si non sit sensibile, sicut Christus dicitur figura, vel character paternæ substantiæ, secundum Apostolum, Hebr. 4.

Ad 3, dicendum quod, sicut supra dictum est (quæst. 62, art. 6), sacramenta veteris legis non habebant in se spirituales virtutes, ad aliquem spirituales effectum operantem. Et ideo in illis sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character, sed sufficiebat ibi corporalis circumcisio, quam Apostolus signaculum nominat, Rom. 4.

#### COMMENTARIUS.

1. Titulus hujus articuli, ut recte Cajetanus notat, indefinite, prout sonat, intelligendus est; non enim de omnibus sacramentis universaliter, nec de aliquo in particulari ac definite quæstio proponitur, sed absolute et confuse de sacramentis novæ legis. Rursus oportet advertere, nomine characteris significari signum seu sigillum, quo solet signari res aliqua, vel ut cognoscatur, et ab aliis distinguatur, quomodo solet signari servus, aut ovis, caractere proprio domini sui, vel ut in pretio habeatur, quo modo signatur pecunia sigillo regio, vel ut ad aliquod munus depu-

tetur, quo modo milites caractere militari insigniuntur, et hoc modo accipitur in Scriptura character Antichristi pro signo, quo ille sigillabit sectatores suos, Apocal. 13, 14 et seq. Atque in hac propria significatione accipi in præsentis constat, tam ex proprietate vocis, quam ex usu omnium. Verum est vocem characteris communiter significare signum sensibile, quia hæc vox primum est imposita ab hominibus, qui sensibilibus signis utuntur. Hic vero sumitur pro signo seu caractere spirituali, quo signantur animæ Christianæ per Christi sacramenta.

2. Respondet ergo D. Thomas per sacramenta Christi imprimi in anima spirituales characterem. Quam conclusionem, in argumento Sed contra, probat ex Paulo 2 ad Cor. 4 dicente : Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Quod testimonium est valde probabile : quatuor enim divini effectus a Paulo ibi distinguuntur. Primus est fidei, qua firmamur in Christo. Secundus est charitatis et gratiæ, qua ungemur. Tertius est pignus Spiritus, quod est testimonium bonæ conscientiæ. Quartus ergo, qui continetur in illis verbis : Qui et consignavit nos, debet esse effectus distinctus a reliquis, et non potest melius interpretari, quam de caractere, quo Christo consignamur. Dices, ipsomet baptismo signari fideles, nec esse necessarium alium characterem. Respondet Ambrosius, 1 de Spiritu Sancto, cap. 6 : Etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur; nam illud signum sensibile, quod est baptismus, non est tam proprius effectus Spiritus Sancti sicut est spirituale signum, quod animæ imprimitur; unde sicut alia omnia, quæ ibi numerantur a Paulo, sunt interna et spiritualia, ita et consignatio. Et ita obiter explicata manet congruentia D. Thomæ. Dixi autem prædictum testimonium esse probabile, quia optime et accommodatissime prædicto modo exponitur, non tamen est per se sufficiens ad convincendum protervum, quia multi Patres intelligunt aliter illum locum. Anselm. signum crucis tantum intelligit, quod nostris frontibus Deus imposuit, et per illud ab infidelibus distinxit. Apparentior est aliorum expositio, qui dicunt illam consignationem fieri per gratiam sanctificantem, et indicant per illa tria, qui unxit, signavit, et dedit pignus Spiritus, eandem gratiam significari; illa enim ungi-

mur, et in filios Dei signamur, et pignus est, atque arrha gloriæ futuræ; ita fere Chrysost., Theodor., Theoph. et OEcum. Indicatur etiam in commentariis, quæ Hieron. tribuuntur, et D. Thomas in Paulo, quamvis de signo fidei et crucis etiam exponat, magis tamen approbat expositionem de signo gratiæ, quam etiam sequitur Ambrosius ibi dicens : Unxit nos spirituali unctione, et signavit nos, dando Spiritum suum nobis, pignus, ut non ambigamus de promissis ejus. Et in præd. lib. de Spiritu Sancto : Sancto (inquit) Spiritu signati sumus a Deo; sicut enim Christo morimur, ut renascamur, ita etiam Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem ejus tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum. Quanquam hæc verba Ambrosii recte possunt intelligi, ita ut inter hoc signum, et gratiam distinctionem faciat; non enim dicit, signari nos per gratiam, sed signari, ut gratiam tenere possimus, quod est proprium characteris baptismalis; illo enim signamur, ut efficiamur capaces gratiæ, quæ per baptismum datur; est ergo valde probabilis prima expositio hujus loci, et aptior ad distinguendum illa tria, quæ Apostolus annumerat.

#### ARTICULUS II.

Utrum character sit spiritualis potestas (4, dist. 4, q. 2, art. 1).

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod character non sit spiritualis potestas. Character enim idem videtur esse quod figura, unde Hebræorum 4, ubi dicitur : Figura substantiæ ejus, in Græco habetur, loco figuræ : Character. Sed figura est in quarta specie qualitatis, et ita differt a potestate, quæ est in secunda specie qualitatis; character ergo non est spiritualis potestas.

2. Præterea, Dionys. dicit 2 cap. Eccles. Hier. (part. 3, parum ante med.), quod divina beatitudo accedentem ad beatitudinem in sui participationem recipit, et proprio suo lumine, quasi quodam signo, ipsi tradit suam participationem. Et sic videtur, quod character sit quoddam lumen. Sed lumen ad tertiam speciem qualitatis videtur pertinere. Non ergo character est potestas, quæ videtur ad secundam speciem qualitatis pertinere.

3. Præterea, a quibusdam character sic definitur : Character est signum sanctum communionis fidei et sanctæ ordinationis, datum

ab Hierarcha. Signum autem est in genere relationis, non autem in genere potestatis. Non ergo character est spiritualis potestas.

4. Præterea potestas habet rationem causæ, et principii, ut patet Metaph. (lib. 5, text. 17, tom. 1); sed signum quod ponitur in definitione characteris magis pertinet ad rationem effectus; character ergo non est spiritualis potestas.

Sed contra est, quod Philosophus dicit in 2 Ethic. (cap. 5, in princ., tom. 5) : Tria sunt in anima, potentia, habitus et passio. Sed character non est passio, quia passio cito transit, character autem indelebilis est, ut infra dicitur (art. 5 hujus quæst.). Similiter etiam non est habitus, quia nullus habitus est, qui se possit ad bene et male habere; character autem ad utrumque se habet, utuntur enim eo quidam bene, alii vero male; quod in habitibus non contingit, nam habitu virtutis nullus utitur male, et habitu malitiæ nullus bene; ergo relinquatur quod character sit potentia.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. præced.), sacramenta novæ legis characterem imprimunt in quantum per ea deputantur homines ad cultum Dei, secundum ritum Christianæ religionis. Unde Dionys., in 2 cap. Eccles. Hierar. (part. 3, parum ante med.), cum dixisset, quod Deus in quoddam signo tradit sui participationem accedenti ad baptismum, subjungit : Perficiens eum divinum et communicatorem divinorum. Divinus autem cultus consistit vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quædam potentia; nam ad tradendum aliquid aliis requiritur potentia activa, ad recipiendum autem requiritur potentia passiva. Et ideo character importat quandam potentiam spirituales ordinatam ad ea, quæ sunt divini cultus. Sciendum tamen, quod hæc spiritualis potentia est instrumentalis, sicut etiam supra dictum est (quæst. præced., art. 4), de virtute, quæ est in sacramentis. Habere enim sacramenti characterem competit ministris Dei. Minister autem habet se per modum instrumenti, ut Philos. dicit in 1 Polit. (lib. 5, cap. 3, aliquantulum a prin., tom. 3). Et ideo sicut virtus, quæ est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens et incompletum, ita etiam character non proprie est in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.

Ad 1 ergo dicendum, quod figura est quæ-



dam terminatio quantitatis; unde proprie loquendo non est nisi in rebus corporeis, in spiritualibus autem dicitur metaphoricè. Non autem ponitur aliquid in genere, vel specie, nisi per id, quod de eo proprie prædicatur. Et ideo character non potest esse in quarta specie qualitatis, licet hoc quidam posuerint.

Ad 2, dicendum, quod in tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passiones, vel sensibiles qualitates. Character autem non est lumen sensibile, et ideo non est in tertia specie qualitatis, ut quidam dixerunt.

Ad 3, dicendum, quod relatio, quæ importatur in nomine signi, oportet quod super aliquid fundetur. Relatio autem hujus signi, quod est character, non potest fundari immediate super essentiam animæ, quia sic conveniret omni animæ naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio, et hoc est essentia characteris. Unde non oportebit, quod sit in genere relationis, sicut quidam posuerunt.

Ad 4, dicendum, quod character habet rationem signi per comparisonem ad sacramentum sensibile, a quo imprimitur, sed secundum se consideratus, habet rationem principii per modum jam dictum (in corp. art. et art. præced.)

## COMMENTARIUS.

1. Quid importet character, exponitur. — Circa titulum potest in primis dubitari, cum D. Thomas præced. articulo supposuerit, characterem esse signum, quid necesse fuit inquirere, an sit potestas; aut quomodo hæc cohæreant, esse signum et esse potestatem. Ut hoc ergo explicetur, observandum est, in omni signo distinguendam esse relationem seu denominationem signi a fundamento, seu re, quæ ad significandum imponitur; character ergo non potest significare solam relationem vel denominationem, sed rem aliquam, quæ animæ imprimitur cum tali impositione seu denominatione; quod videre licet in omnibus characteribus corporalibus, qui non imprimuntur, nisi per appositionem alicujus rei, talis vel talis figuræ; sic ergo ut anima interius consignetur realiter et intrinsece, necesse est, ut aliqua res absoluta illi imprimatur quæ sit signum, seu fundamentum relationis signi, seu res ad significandum imposita, quia sola relatio signi non potest immediate imprimi, aut per se fieri aliqua actione, ut constat ex generali ratione relationis, et præ-

sertim, quia hæc significatio necesse est, ut sit relatio rationis, et ex impositione, ut infra dicam; quare non potest immediate cadere in ipsam animam, tum quia anima est quæ signatur, non quæ ad significandum imponitur; tum etiam quia alias hæc impressio characteris nihil esset in anima, nisi sola denominatio extrinseca per impositionem. Quamvis ergo character sit signum, necesse est, ut sit aliquid reale, in anima inhærens, ac propterea D. Thomas hoc tanquam certum supponens, inquit, in quo genere, seu specie sit character. Supponit autem ulterius, tanquam manifestum, non posse esse nisi in prædicamento qualitatis, quia cum insit in anima, non potest esse substantia, quia substantia non inhæret substantiæ, nec anima rationalis informari potest alia forma substantiali; nec etiam potest esse quantitas, cum sit forma spiritualis, accommodata subjecto suo; superest ergo, ut sit qualitas, nam de relatione jam dictum est, de aliis vero prædicamentis nulla potest esse quæstio.

2. Ratio D. Thomæ expenditur. — Respondet ergo D. Thomas characterem esse potentiam spiritualem ordinatam ad ea, quæ sunt divini cultus; quam conclusionem in argumento Sed contra, probat hoc discursu: In anima tantum sunt potentia, habitus et passio, ex Aristotele, 2 Ethic., cap. 5. Sed character non est passio, quia passio cito transit, character vero indelebilis permanet; neque est habitus, quia nemo potest eodem habitu bene et male uti, sicut possumus uti characterem; ergo est potentia. Sed hæc ratio sine dubio efficax non est. Primo quidem, quia non est contra rationem habitus, ut possimus eodem habitu bene et male uti in genere moris, ut ratio facta procedit. Probatur primo, quia etiam in voluntate est probabile, præter habitus virtutum et vitiorum dari habitus indifferentes, genitos ex actibus, ex objecto et specie sua indifferentibus; cur enim hoc repugnat? Nam, licet actus specie indifferens in individuo non fiat sine bonitate vel malitia accidentali sumpta ex fine extrinseco, tamen in entitate sua manet indifferens, et secundum illam generare potest habitum. Secundo, quidquid de hoc sit, de habitibus intellectus est hoc evidens; nam eodem habitu scientiæ utimur bene et male; et de habitu fide imulti idem existimant, et est satis probabile. Character autem a D. Thoma ponitur in intellectu; ergo nihil obstat quominus possit esse habitus ejus, quo voluntas

bene et male moraliter uti possit. Dico autem semper, bene et male moraliter, quia si loquamur de bono et malo in esse naturæ, seu in suo genere, sicut nullus potest uti bene et male scientia in ratione judicandi, quia, si per scientiam judicat, necesse est ut bene judicet; si autem non recte judicat, non utitur scientia; et simili modo de qualibet arte, quæ sit virtus; ita nullus bene et male utitur characterem in genere sacramenti, ut sic dicam; nam si characterem utitur, rite conficiet sacramentum applicando omnia ad illius constitutionem necessaria; si autem non rite conficit, jam non utitur characterem; non ergo occurrit apprensus modus defendendi hanc rationem D. Thomæ, quod mirum esse non debet, quia et D. Thomæ conclusio difficilis est, et in argumentis Sed contra, non semper utitur D. Thomæ rationibus necessariis.

3. Addit ergo in corpore articuli rationem hanc, quia per characterem deputantur homines cultui divino; sed hic cultus consistit in recipiendo et tradendo divina, ad quos actus requiritur aliqua potentia; ergo character est hujusmodi potentia. Circa quam rationem merito dubitat Cajetanus, quia illa consequentia nec formalis est, nec etiam videtur tenere ratione materiæ. Primum patet, quia simili modo argumentari possumus: Per characterem deputatur homo ad cultum divinum; sed ad hunc cultum requiritur fides, aut scientia; ergo character est fides, aut scientia; defectus autem illationis est, quia ad cultum divinum multa requiruntur. Unde ex communi ratione, quod aliquid sit requisitum ad cultum Dei, non licet inferre illud esse characterem, nam character est unum ex requisitis, non vero est omne illud, quod requiritur ad cultum Dei. Quod autem nec illatio teneat ratione materiæ, probatur, quia per characterem deputantur homines ad cultum Dei, tanquam per quoddam signum, ut D. Thomas dixit art. præced.; ergo ex hac deputatione non potest colligi characterem esse potentiam; sicut etiam per characterem militarem deputatur homo ad militiam; unde non fit, illum esse potentiam, sed tantum signum. Respondet Cajetanus consecutionem tenere ratione materiæ, quia character non est quaecumque signum, sed perficiens animam ad cultum Dei, ut D. Thomas in litt. ex Dionysio refert; quia ergo hic cultus consistit in tradendo et recipiendo divina, ideo character perficit animam ad recipiendum, vel dandum divina; homo autem primo ac per se

perficitur ad recipiendum vel dandum, per potentiam dandi vel recipiendi. Sed hæc responsio in eandem incidit difficultatem, quia etiam perficitur homo ad dandum et recipiendum per habitus et dispositiones. Optima ergo responsio est, quam idem Cajetanus in principio et fine hujus disputationis significavit, scilicet per characterem ita deputari hominem ad divina, ut non supponatur in homine potentia tradendi aut recipiendi divina sacramenta, quæ sine characterem haberi non potest, et cum illo statim habetur; character ergo non est signum deputativum supponens potentiam; ergo necesse est, ut secum illam afferrat; ergo signum est, ipsum etiam characterem esse potentiam, et hoc modo est ratio probabilis; quomodo autem re vera concludat esse potentiam, aut quomodo possit omni characteri applicari, in disputatione sequenti tractabitur; in qua discutiemus aliam partem corporis articuli, in qua duo valde difficilia D. Thomas dicit. Unum est, characterem esse potentiam instrumentalem, sicut est virtus quæ est in sacramentis. Alterum est, non esse proprie in genere vel specie, sed reduci ad secundam speciem qualitatis. Et ibi etiam explicabimus solutionem ad 2, quæ aliquam difficultatem habet; reliquæ enim ex dictis faciles sunt.

## ARTICULUS III.

Utrum character sacramentalis sit character Christi (4, dist. 4, quæst. 1, art. 2, et art. 3, quæst. 5).

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod character sacramentalis non sit character Christi. Dicitur enim Ephes. 4: Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis. Sed consignatio importatur in nomine characteris. Ergo character sacramentalis magis debet attribui Spiritui Sancto quam Christo.

2. Præterea, character habet rationem signi. Est autem signum gratiæ, quæ per sacramentum confertur; gratia autem infunditur animæ a tota Trinitate. Unde dicitur in Psal. 83. Gratiam et gloriam dabit Dominus. Ergo videtur, quod character sacramentalis non debeat specialiter attribui Christo.

3. Præterea, ad hoc aliquis characterem accipit, ut in eo a cæteris distinguatur. Sed distinctio Sanctorum ab aliis fit per charitatem, quæ sola distinguit inter filios regni et filios perditionis, ut Augustinus dicit 15 de